Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36448
Copyright: Melk, Benediktinerstift

purgatrix penitentia plurimos
liberat. Dixit autem ad petrum. non
solum septies dimittes penitenti.
sed septuagies septies. Non ergo
despes cypriane mundari te posse
a magno pelago iniquitatum. mia
misericordiarum dei. in qua tu per gratiam
christi habes lavari. Salutarem enim aquam
ipse effudit super nos affluenter. propter
iniquitates mortem suscipiens. sicut ysaias
de christo prophetavit dicens. propter peccata
populi ductus est ad mortem. Et iterum
dicit. Non est opus medicus valenti-
bus. sed male agentibus. Sed quia
gaudium erit in conspectu angelorum
super uno peccatore penitentiam agente.
quam super nonaginta novem iustos.
qui non indigent penitentia. tene ancho-
ram fidei in christo domino quia vivo
ego dicit dominus. nolo mortem peccatoris
sed ut convertatur et vivat. Et nunc
surge frater solve ieiunium: et eamus
in ecclesiam christi. Sicut ergo tu traxisti
multos per magicam artem. ita mul-
tas animas offeres christo illuminans
eos noticia fidei christi. Scio quia
servus christi servus efficieris. sed ro-
go te. ut me semper in mente habeas
ad dominum. Tunc ego osculabar caput
eius et patrem eum vocabam. Erat
autem et condiscipulus meus in litteris.
sed tamen ab infantia erat fidelis:
semperque admonens ut de meo er-
rore ad meliora transirem. Alia
nocte ivimus in ecclesiam dei. ibi vi-
debam celestem chorum cum multa
glorificatione ympnum deo refe-
rentem. omnium voce consonantem.
Audivi per singulos versus domini lau-
dem. super mea conversione. nichil

Et ipse traditus est propter peccata nostra et ipse dominus dicit.
Non veni vocare iustos sed peccatores ad penitentiam ut
iustificet

quam aliud putabam nisi angelorum voces.
Et hec cum dixissem glorificabant deum:
simulque omnibus populus qui aderat
super mea conversione. Mane autem
ego et pater meus eusebius omnem legi-
onem diaboli combussimus igne
iubente episcopo. Cum audisset dei fa-
mula iustina meam conversionem. lu-
cernas accendit. consecravit thala-
mum suum ministerio sancte ecclesie. omnia
que habere poterat in ornamento. sive
in multa substantia dedit pauperibus.
gratias agens deo pro mea salute. Si-
mili modo ego feci sicut et illa. om-
nem substantiam meam vendidi. sancte ec-
clesie dedi. et non post multum tempus
consignationem merui a sancto patre meo
eusebio. Ex eo multos cepi monere
ad conversionem et credebant multi. et
addebantur in grege christi. Nunc
autem conversus sum ad clarum lumen
et sic per multos convivabam cum patre
meo eusebio. cui est multa glori-
a et merces apud deum qui libera-
vit me de morte eterna. et deduxit
ad ihesum christum dominum nostrum. cui sit ho-
nor et gloria in secula seculorum. Amen.

Passio sancti Cypriani et iustine virginis martiris.

Illuminatio domini nostri ihesu christi
facta est. et completis verbis
prophetarum. omnibus qui sub celo ver-
bo dei illuminatus est. credens
in deum patrem et in ihesum christum
baptizabatur. Addebatur autem
et quedam virgo iustina. cuius pater
erat edolius in civitate anthioch-
ia. que est iuxta locum qui dicitur daf-
nes. Hec erat audiens prelium
diaconem per suam fenestram. et sedens
audiebat magnalia dei. Et cum